



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Agenda S. Coloniensis Ecclesiæ. Hoc Est: Liber Pastoralis**

**Ferdinand <Köln, Erzbischof>**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Quid agendu[m] Sacerdoti post infirmi communionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39761**

terisque astantibus cœlestem benedictionem impendat  
hac verborum forma.

Benedictio Dei omnipotentis Pa<sup>X</sup>tris, &  
Fi<sup>X</sup> lij, & Spiritus <sup>X</sup>sancti, descendat su-  
per vos, & maneat semper, Amen.

## Q V I D A G E N D U M S A C E R- doti post infirmi communionem.

### I.

**P**ostquam infirmus salutari viatico recrea-  
tus est, sacerdos eadem, qua ante dictum  
est, grauitate, modestia, & deuotione ad Ec-  
clesiam reuertatur. Ecclesiam ingressus, &  
ante tabernaculū aut altare consitens præ-  
fentes hortetur, ut ægrotū suis apud Deum  
precibus sedulò iuuent, omniaque quæ ad corporis, & a-  
nimis sanitatem pertinent, donari postulent, dicentes de-  
uotè Pater nōst. & Aue, &c.

Oratio pro  
ægro po-  
stulanda.

II. Deinde indulgentias promulget, quas promeriti sunt  
qui diuinissimū sacramētum honoris ergo deduxerunt, ac  
illi quidē qui sine lumine comitati sunt, centum; qui verò  
cum lumine ducentorū dierum indulgentiā sunt cōsecuti.

Indulgen-  
tiæ pro-  
mulgandæ.  
*Ex Badiis*  
*Pauli 3. &*  
*Gregorij 13.*

III. Ad extremum benedictionem hierotheca Euchari-  
stiæ præsentibus impertiat, eosdemque aspersos aqua be-  
nedita in pace dimittat, & ciborium seu Pyxidem in Ta-  
bernaculo reuerenter deponat.

Benedictio  
imperiencia-  
da.

IV. Atque hic quidem modus in reditu seruandus cùm  
vna aut plures hostiæ consecratæ supersunt, quæ solenni

Notatio.

N 3 ritu

ritu in Ecclesiam referantur. Quod ipsum, ut ita semper  
fiat, Pastores omni diligentia ac studio prouidebunt, ne  
si secus sit, in reditu inanem thecā populo cultu irreligio-  
so adorandam exponant. Interim, quod si casu aliquo ho-  
stia sacra nulla sit reliqua, eò quod plures opinione sacra-  
tissimo corporis Dominici viatico fuerūt reficiendi: tunc  
sacerdos, populo præ foribus præstolante, domum mode-  
stè abire iusso, & iam aliquamdiu à se dimisso, superpellit-  
ceum vñacum stola exuat, Pyxidemq; sub veste occultat-  
tam sine luminē, (nisi aliud noctis tenebræ requirerent) &  
tintinnabuli sonitu in templum inferat, prout salubriter  
in statutis Archiepiscopi Wilhelmi fol. statut. Colon. 182,  
ordinatum est.

### DE COMMUNIONE spiritali.

Communi-  
no spiri-  
tualis.

**V**oniam supra dictum est, non conuenire, ut infir-  
mis vomitionis periculo obnoxij, aut alio aliquo  
impedimento laborantibus, veluti gutturis inflati-  
one aut simili, sacra hostia porrigatur, præsertim si eam re-  
iecturi verisimiliter putentur, ne tamen saluberrimo huius  
suauissimi viatici fructu omnino destituantur, hortandi  
sunt, ut spiritualiter saltem communicent. Id verò facient, si  
quemadmodum Concilium loquitur, Angelorum hunc  
1. panem sibi ostensum voto viuaque fide, quæ per dilectio-  
2. nem operatur sumant, si Christum in augustissimo sacra-  
3. mento præsentē deuotè adorent, de illo piè cogitēt, incen-  
sumq; desideriū illū reipsa percipiēdi in animis suis excitēt.

DE EX-